DE

NATURA CONTAGII.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS HOFMEISTER

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

C. DOLLMANN, med. et chir. Dr.

L. LOSSIER, med. et chir. Dr.

O. MUELLER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0070

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

R. FRORIEP,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA ET IN ACADEMIA ARTIUM, MUSEI ANATOMICO-PATHOLOGICI IN NOSOCOMIO BEROLINENSI CARITATIS PROSECTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

NEC NON

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE

AD CINERES USQUE COLENDAE

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Arrogantia quaedam cuipiam videri possit, quod ego rem mihi proposuerim tractandam, quae sine dubio omnium una est difficillima in tota pathologia, illo quidem campo, ubi, si vera volumus fateri, hucusque fere nihil dilucidatum est. At minime id egi, ut novam proferrem theoriam, hoc potius spectans, ut hanc gravissimam rem nonnihil illustrarem. Itaque praestantissimos perscrutatores comparare studui, ut hac via certam quandam consequerer summam, itaque, si fieri posset, totum quoddam conficerem. Quod hunc scopum non attigerim, ejus rei causa partim in difficultate rei ipsius sita, partim in materiae copia, ad quam superandam acerrimeque judicandam studium longius, ante omnia judicium exercitatius quam tironis opus est. Igitur nunc quidem in eo debui aquiescere, ut nonnullas tantum quaestiones principales accuratius perstringerem.

Unusquisque in scientia aliqua progressus non huic soli est commodo, sed in omnes quoque ceteras vim suam salutiferam exercet; nam sicut veritas modo una est, ita scientia quoque, si rem ad unguem resecueris, una tantum existit;

chemia, physice, astronomia, medicina, mathesis, aliae nonnisi rami sunt illius doctrinae unius. Quod literae naturales aetate recentiore mirum in modum progressae sunt, id, ut rei consentaneum, in medicinam quoque vim exserere debebat utilem.

Haud ignotum est nos demum ope chemiae plurimos morbos accuratius cognosse; inventasque leges physicales de calore, electricitate, magnetismo, luce, sono (monuerim tantum de usu stethoscopii) commodum et pathologiae et physiologiae immensum attulisse. Longum est, utilitatem, quam diligens studium literarum naturalium arti medicae paravit, hic uberius exponere; hoc potius in historiam cadit medicinae, cujus potissimum est, universam evolutionem in cognoscendis rebus medicis declarare.

Altera autem ex parte non possum incommoda silentio praeterire, quae medicinae eodem literarum naturalium studio illata sint; licet enim affirmare tristem deplorandamque rerum medicarum conditionem maxime inde profectam esse. Meminerim equidem de scholis medicis antiquis, quae omnes plus vel minus suas theorias de morbis in legibus chemicis, physicalibus aliisque, partim adhuc falsis, condiderunt. Neque postea intelligentiam paratam esse maturiorem, hoc scholae aevi medii aetatisque recentioris comprobant, quarum nomina jam suam originem produnt, sicut chemica, iatromathematica, pathologica humoralis, aliae (1).

---

(1) Utilitas historiae medicinae saepenumero pluris aestimatur. Ut ex historia scimus politica, populos aeque ac singulos homines non multum ex ea didicisse, quoniam eos semper denuo

Singula horum systematum hodieque valent; imo inter asseclas viri numerantur, qui et eruditione et experientia medica valde excellunt. De nobis autem tironibus hac in re pessime agitur, praesertim quum adhuc experientia careamus judicioque quodam maturiore, quo decernamus ipsi, cui tandem illorum systematum nos applicemus. Num eo nos vertamus, ubi successus sanationis prosperrimi prostant? Optio hic quidem difficillima, quippe alloeopathia sanat, nec minus homoeopathia; imo haec morbos sanat hucusque insanabiles habitos. Vel qui nullam porrigunt medicinam, perinde successus praeclaros ostentant.

Ex theoriis de contagiis satis patet, altera parte seve-

---

in errores eosdem incidere videmus, quos majores in suam perniciem jam saepe commiserant: sic quoque idem in historia medicinae reperimus. Systemata praeceptaque, propter perversitatem suam jam ante mille annos deserta, hodie recoquuntur et etiamnunc defensores patronosque suos inveniunt. Etiam in historiam medicinae quadrant Goethii verba:

Was kluges, dummes auch geschah,
Das nennt man Welt-Historia.
Die Herren Bredow's künftiger Zeiten
Werden daraus Tabellen bereiten,
Daraus lernt die Jugend mit Fleiss,
Was sie nie zu begreifen weiss etc.

His quidem de magno pretio, quod ei tanquam historiae evolutionis literarum medicarum, maxime vero propter adumbrationem physiohistoricam morborum epedemiorum est, quidquam detrahere nolo; sed ab ea sola salutem scientiae medicae omnem exspectandam esse nego.

riorem rerum vetustarum defensionem, altera praematurum usum rerum in aliis literarum naturalium finibus repertarum, potissimum autem studium, applicandis legibus mundi externi, naturae anorganicae, in vivum organismum processus vitales explicandi, miseram scientiae medicae conditionem adduxisse.

Jam veteres contagium cognitum habuisse probabile est, etenim singuli saltem loci exstant, ex quibus illud conjicere licet. Sic Plinius de contagio pestilentiae verba facit, Ovidius de contagio, quo pestis Aeginae propagata sit. Similia reperiuntur apud Horatium (Epod. XVI, 61: Nulla nocent pecori contagia) et apud Columellam (de re rustica VII. 8), diserte de morbo ovium sermocinantem, qui nisi in primum aegrotantibus opprimatur, omnem gregem contagione perdat. De peculiari quidem inficiendi ratione contagiorum nihil dicunt, contagionem ducentes calidam, quia omnes morbos effectum unius quatuor qualitatum existimabant. Ex aevo medio ad nos pervenit liber Fracastorii de contagione. Dixit morbum Tridenti obvium contagiosum, unde auctor doctrinae contagiorum falso judicatus est (1). Theoria, contagium esse aliquid dynamice vivens et genitum et sese propagans, jam quidem apud Paracelsum exstat, hoc tantum discrimine, ut Paracelsus hanc originis rationem in morbis omnibus statueret (2). Hic legimus verba: „denn eine jegliche Krankheit

---

(1) Fracastoro, de sympathia et antipathia liber unus, contagione et contagiosis morbis libri tres. Venet. 1546.

(2) Die homöobiotische Medicin des Theophrastus Paracelsus von Dr. C. H. Schultz. p. 34 sq.

ist von einem Saamen da und so sie erwachsen ist, so ist sie ein Baum und trägt ihre Früchte.“ —

Invasio magnarum epidemiarum, veluti pestilentiae, medicos incitabat, ut in originem naturamque contagiositatis horum morborum inquirerent. Theoriae quidem quam maxime futiles et absurdae in lucem proferebantur; mentionem modo faciam opinationis Felicis Plateri, cui plerique medici aequales sese adjungebant. Secundum eum contagiosa materies pestilentiae, sicuti omnia cetera morbi venena, generi humano ab origine insita erat, numquam denuo nascebatur, sed materies ista contagiosa in corporibus, etiam pestilentia plane vacantibus aut in rebus venenum capientibus secreto inhaerens, semper se propagabat (1).

Hic rursus clarissime cernimus, quam sit difficile errorem quendam inveteratum explodere; nam quamvis Plateri opinio a Sennert et Diemerbroek accurate refutata esset, tamen saeculo duodevicesimo fere rursus dignitatem universalem adepta est, atque adeo cum magno scientiae medicae detrimento etiamnunc asseclas.

Singulis solum praeclaris medicis illius aetatis contigit, ut in diligentibus nisi perscrutationibus et bonis observationibus de peste institutis, quae ab anno 1769 ad 1772 magnam partem Europae orientalis vexabat, contra opinionem vulgarem cum veritatis armis non sine successu coorirentur. Ita omnium maxime dignus est, cujus mentio fiat, Orraeus, observationibus suis naturam sequentibus docens, si febres pesti

(1) Dr. J. F. Hecker, Geschichte der neuern Heilkunde. Erstes Buch, die Volkskrankheiten von 1770. p. 79 sq.

cognatae (typhus petechialis, febris intermittens) dominentur, fortiores caussas occasionales pestem sine omni contagione provocare(1). Jam antea vero adversus sententiam Felicis Plateri Josephus Ferro pugnaverat nec sine gloria; his quoque in opere suo demonstravit pestem semper per se gigni ex multis caussis congredientibus (2). Sed longius a proposito aberrarem, si accuratiorem harum opinionum censuram exhibiturus essem. Nolo equidem cuncta judicia de natura contagiorum prolata ordine historico recensere: exponere enim tantummodo mihi in animo est, hanc gravem quaestionem quovis tempore a medicis pertractatam esse, ipsas autem theorias falsas plerosque nactas esse asseclas, longo tempore multoque labore consumto, antequam sana sobriaque naturae contemplatio errores priscos expelleret — res sane mira, ipsis in literis medicis saepius recurrens.

Contra gravissimum nobis videtur, hic placita scholae cujusdam diffusius excutere, quae aetate recentiore eximiam habebat dignitatem hodieque viros magnae auctoritatis literariae asseclas habet: dico scholam physicohistoricam. Jam ille Sydenhamus de morbo opinionem habebat physicohistoricam, quippe eum existimans parasitum sui juris, qui quoque in corpore humano certis evolutionis periodis evolvitur. Ait scilicet: „Morbus est species, quemadmodum planta est species, quae parem semper ad normam e terra nascitur,

---

(1) Gustavi Orraei descriptio pestis, quae anno 1770 in Jassia, et 1771 in Moscua grassata est. Petropoli 1784.

(2) Pascal Joseph Ferro, von der Ansteckung der epidemischen Krankheiten und besonders der Pest. Leipzig 1782.

floret interitque.“ Philosophia naturalis, a Schelling ejusque discipulis Troxler, Steffens, Wagner, Oken, aliis introducta, in medicinam multum valuit; nempe studebant ex loco philosophico, magna instructi copia eruditionis empiricae, phaenomena vitae explicare; consensum vitae individualis cum universa vita naturali demonstrabant (Paracelsi micro- et macrocosmus); nitebantur cuncta vitae phaenomena ad legem oppositi sive polaritatis revocare; introducebant illam jam a Goethio repertam legem metamorphosis; morbum ipsum dicebant vitae sanae analogum, iisdem legibus cum vita sana subjectum processum. His igitur speculativis observationibus nisa in Germania exstitit schola, quae dicitur physicohistorica.

Morbus censetur proprius, certo vitae spatio adstrictus, periodis certis sese evolvens et rursus demoriens organismus, parasitus, qui quidem comparatus cum organismo suo materno infimum perfectionis gradum obtinet. Quam igitur opinionem haec schola secundum ideam suam principalem de morbo, de morbi origine, maxime de contagiis morbi habere debuerit, proprie per se patet; attamen nonnullorum eximiorum virorum hujus scholae placita de contagiis brevi adumbrare volumus, rati scilicet aperiendo mereque exponendo errore nos veritati ipsi jam magno passu propius accessuros.

Primum igitur ad Starkii opiniones aggrediamur, quippe qui unus ex hujus scholae coryphaeis sit. In pathologia sua generali (1) (pag. 110), postquam morbi originem judicavit generationem, ubi individuum morbi dispositione praeditum

---

(1) Allgemeine Pathologie oder allgemeine Naturlehre der Krankheit, von Dr. K. W. Stark. Leipzig 1838.

organismum muliebrem, caussa vero occasionalis actionem masculam suscipiat, ait morbi ortum sicut generationem organicam, duplicem esse, aut generationem similarem aut dissimilarem seu aequivocam. Priore ratione morbos contagiosos, velut scabiem, syphilidem, variolas, vaccinas gigni; altera autem alios morbos, v. c. inflammationes, gastricismum, delirium. Tum etiam tertium ponit genus, morbos utroque modo generationis prodeuntes, e. g. scarlatinam, dysenteriam, varicellas, typhum; postremo etiam quartum statuit genus propagationis, scilicet per partitionem, depositionem, germinationem: veluti scabies, morbilli etiam sanguine et saliva se progerminant. Pag. 358 de morbis verba facit, qui natura sua contagiosi sint et de aliis, qui modo sub conditionibus quibusdam contagiosi fiant; illos vocat vera, hos speciosa contagia. Deinceps eum ipsum oportet fateri, hoc discrimen valde relativum esse, utpote quum omnes morbos sub conditionibus quibusdam contagiosos fieri posse experientia comprobet. Pag. 362—396 haec profert placita: infectio ipsa per substratum materiale fit, cui per morbum genito vis contagiosa communicata est. Major contagiorum pars semel modo nascitur (contagia permanentia), per regenerationem se semper conservavit; altera pars minor etiamnunc semper denuo procreatur (contagia spontanea, temporaria), cujus generis plura insuper expromit nomina: contagium necessarium seu originarium, contagium accidentale seu secundarium. Qualitas chemica contagiorum adhuc hypothetica est, viva quidem illa investigari nequeunt, mutabilitas mixtionis eorum major est, saepenumero a vehiculo suo solvi non possunt et admodum volatilia saepe minime possunt deprehendi (saepe-quasi ea jam aliquando de-

prehenderit!). In iisdem reperta sunt nitrogenium, hydrogenium, carbogenium, minus oxygenium. Natura eorum organica est. Constant uti alii liquores organici ex globulis, qui in eis suspensi sunt, motionem ostendunt liberam, quorumque copiae et vivacitati cum vi contagiosa ipsa recta intercedit ratio. Itaque similia sunt semini masculo (quam comparationem latius persecutus est pag. 121). Contagia in organismo se reproducunt, et quo uberior hic reproductionis processus existit, tanto citius ad localem inflammationem, quam ipsa adducunt, universales motus febriles accedunt. — Quum contagiosi morbi processus jam perfectiorem qualitatem tanquam parasiti ostendant, in iisdem character quoque parasiticus et individualis clarius exprimitur; ergo indolem peculiaris alienae, in normalem vitam invectae formae vitalis ratione apertissima prae se ferunt. Quod haec recens nata vita aegrota non statim cum propriis suis phaenomenis in modum sensibus percipiendum prodit, hoc in eo situm est, quod morbi processus ab initio adhuc vitam agit minimam, similiter atque embryon non statim in lucem editur. Vita parasitica cursu suo exacto, quemadmodum unusquisque vitae processus alius rursus demoritur, et una cum illa substrata, corpus et organa. Momento evolutionis materiae contagiosae vita nostra passive se habet, alioquin vitam sibi alienam in se nasci sinere et recipere nequit; unde horripilatio, magna lassitudo, animi depressio etc. primo infectionis tempore. Postea demum reactio organismi adversus parasitum sibi invectum prodit. Infectio ab initio localis et ex loco primum affecto secundarie genere quodam infectionis continuatae proserpit. Effectus contagiorum primarius tum magis dynamicus, tum magis materia-

lis, succos mutans. Haec fere sunt, quae Stark de contagio judicat.

Eisenmann, unus ex ingeniosissimis illius scholae perscrutatoribus, in libro et jucundissimo et utilissimo singulatim quoque de contagiis agit (1); omnino ejus opinio a Starkiana non multum differt, quum auctor uterque ex eadem proficiscatur idea principali. Secundum eum quoque morbi sunt organismi; nec minus conatus est morbos vegetativos tanquam seriem organismorum systematice exhibere, qui in evolutione sint progrediente (pag. 63—85). Infimi morbi secundum eundem ex mutatione normalium atomorum organismi protorganismorum (animantium, quae nec animalia nec plantae, sed ut initia organisationis inter illa media sunt) exoriuntur, et summi desinunt cum generatione verorum insectorum, v. c. in phthiriasi. Contagia ipsa ei quoque animantia sunt organica, quum quidem sese germinent, quae facultas solum in animantia organica cadit. Ut sententiae suae fidem auctoritatemque conciliet, dicta multorum medicorum affert, quae sibi favere existimat; sicuti Autenrietii, Hufelandi, Gmelini. Gruithuiseni puris globuli nostro auctori nihil sunt, nisi organismi inferiores. „Nach den bisherigen mikroskopischen Untersuchungen, inquit pag. 195, darf man die Contagien als kleine Sphären betrachten, welche ungefähr die Grösse der Blutkügelchen haben, sich aber einer höhern Organisation und Selbständigkeit als diese erfreuen, jedoch in eben dieser Beziehung den Spermatozoen und noch mehr den Infusorien

(1) Die vegetativen Krankheiten und die entgiftende Heilmethode. Beschrieben von Dr. Eisenmann. Erlangen 1835.

nachstehn.“ Censet ope microscopii aliquando fieri posse, ut diversitas singulorum contagiorum etiam secundum ipsorum corpora illustretur. Motionem liberam solis contagiis magis evolutis concedit; augescere contagia extra organismum negat. Maxime torquetur explicatione, quo modo contagia in organismo se propagent. Directa propagatio, qualis in morbis acari (scabie, phthiriasi) locum habet, ei non videtur secundum naturam statuenda esse, non magis quam parasiti spermatis virilis in organismo feminino sese adaugent. „Da diese Art der Fortpflanzung also nicht stattfindet, inquit p. 206, so bleiben nur noch zwei Arten der Fortpflanzung übrig, nämlich entweder erleiden die Contagien im Blute eine ähnliche Veränderung, wie der Pflanzensaamen in der Erde, sie werden aufgeschlossen und verwandeln sich unter Massezunahme in solche Stoffe, aus denen unter dem Einfluss der capillären Thätigkeit neue Contagien hervorgehen, wie sich der Pflanzensaamen unter Stoffaufnahme in eine junge Pflanze verwandelt, welche neue Saamen trägt u. s. w.; oder die Contagien wirken durch eine Art aura seminalis (wie sich Jahn ausdrückt) gleichsam befruchtend auf den Organismus, ihn bestimmend aus seinen eigenen Elementen solche Stoffe hervorzubringen, aus denen endlich wieder Contagien hervorgehen, ähnlich wie die Miasmen ebenfalls die Anregung zur Erzeugung derselben geben.“ — Posteriorem amplectitur modum propagationis et eo jam multo propius veritati accedit quam Stark.

Possem praeterea multorum virorum praeclarorum hujus scholae placita allegare, veluti Jahni, qui in physiatrice sua processum infectionis vegetationem arbitratur parasiticam; sed deberem permulta repetere, quoniam pleraque judicia sine ullo

fere discrimine in eandem ideam principalem conveniunt. Quae attulimus satis hanc scholam physico-historicam adumbrant, quam propterea accuratius descripsi, quod ipsa aetate recentiore permulti eam sectantur. Omnino autem fines mihi constitutos nimis excederem, si omnes exponerem theorias de contagio prolatas. Numerus scriptionum ex ineunte saeculo sexto decimo usque ad hoc tempus de contagio editarum maximus est (cfr. lit. apud Stark l. c. pag. 354—362), et magna mihi eorum pars non praesto erat.

Ea, quae fide dignae observationes et ex his factae conclusiones de natura contagiorum suppeditent, jam breviter componam; unde optime perspiciemus, quid veri, quid falsi in theoria supra explanata insit. Licet autem antea eorum fontium mentionem facere, quibus in opusculo meo conficiendo usus sim. Omnium quidem librorum de pathologia generali, quos versabam, mihi ille a Schultz (1) editus jucundissimus exstitit. In plerisque ceterorum operum pathologicorum proprie ferme nihil reperi nisi systematicam quandam compositionem tam verarum quam falsarum rerum, symptomatum morborum, physicalium et chemicarum et physiologicarum pathologiae accommodatarum legum, relationem antiquiorum recentiorumque theoriarum philosophico-pathologicarum, ex quibus quasi puls conficitur. Non potest studium talium librorum, etiamsi non inutile, nos non delassare, exceptis quidem scriptis auctorum Jahn, Stark, Eisenmann, aliorum, quae praeter veras observationes copiosas, voluptatem etiam haud

(1) Lehrbuch der allgemeinen Krankheitslehre, von Dr. C. H. Schultz. 2 Theile. Berlin 1844. 1845.

exiguam legentibus parant. Neque tamen pronuntiare mihi licet, me studio horum operum ad majorem intelligentiam, ad certum quoddam de morbo in universum, in specie de contagio judicium, quod ubique sequi possis, adductum esse. Henle quoque fatetur se doctrinam horum pathologorum, quamvis consequentia magna vel in singulis rebus cernatur, semper potius ingeniosam, passim solum leporis gratia institutam comparationem, quam veram explicationem duxisse. Contra in libro Schultzii non solum jucundissimum scribendi genus me ad studium diligens allexit, sed perspicuum dicendi genus, simplicitas, rerum veritas manifesta, quas auctor fideliter naturam contemplatus ingeniose composuit. Antiquiores recentioresque theoriae acri subjiciuntur censurae et splendide refutantur; rudis chemismus aeque ac dynamismus, qui hucusque lacunas explere debebat, si vulgares theoriae non sufficerent, organicae morbi doctrinae Schultzianae cedunt. Quod de morbi theoria in universum valet, idem quoque in ejus doctrinam contagiorum singulatim cadit, et licet auctori in hac difficili re adhuc plura obscura restent, tamen persuasum habeo equidem, ex hoc solum loco lucem amplius exituram esse. Itaque in his pagellis conscribendis maxime in theoria Schultziana nisus sum.

Primum igitur doceam, quid sit contagium, num anorganica materies emortua, an organicum parasitice vivum animans. Ex microscopicis explorationibus Schleideni et Schwani (1)

---

(1) Schwan's mikroskopische Untersuchungen über die Uebereinstimmung in der Struktur und dem Wachsthum der Thiere und Pflanzen. Berlin 1839.

liquet, prima initia formationis organicae cellulas esse, in diversas directiones se evolventes eoque diversitatem animantium organicorum adducentes. Explorabantur etiam tumores pathologici, v. c. carcinoma, condyloma, tubercula; in his quoque formatione cellulosa reperta infectionem putabant ex istis cellulis proficisci, quia una cellula in corpus aliud translata ibi radicari et eundem tumorem pathologicum provocare possit.

Ut mittamus, in his investigationibus microscopicis facillime permutationes fieri posse, siquidem e. g. in tuberculo granula insita globulosque pro veris cellulis habeas, non constanter cellulae in his tumoribus obviae sunt, saepenumero etiam nullae reperiuntur, ut in tuberculo ineunte; saepe paucae modo in substantia fibrosa constratae cellulae, velut in carcinomate. Contemplatio igitur microscopica minime ostendit, cellularum formationem characterem horum pathologicorum productorum constituere. Tanto magis mirandum, quod viri praeclarissimi contagiositatem illorum parasiticorum tumorum ex translatione cellularum primariarum pendere asseverabant, in gratiam istius theoriae statuentes quamque cellulam singulam individualem fieri posse, eandemque esse inferiorem vitae formam cum proprio principio vitali. Ad talia axiomata usus deduxit explorationum microscopicarum viros doctos.

Jam videbimus amplius, quomodo hujusmodi perscrutationibus innisi materiem contagiosam fungum censerent. Res sic habet: antehac jam fungi parasitici in animalibus classium diversissimarum inventi erant, ut a Laurent in molluscis, a Bassi et Audouin in bombycibus, ab Hannover in amphibiis. Harless tales fungi formationes apud homines in cutis locis humidis reperit, quam observationem paullo post

multae exceperunt. Sic Otto fungos in vulneribus, Langenbeck in oesophago deprehendit, nec minus Hannover, alii. Schoenlein et Gruby fungum primi invenerunt in porrigine lupinosa; Fuchs eosdem vidit in multis aliis exanthematibus scrophulosis; Klenke permultas hujus generis fungi formationes memoriae prodidit (1). His rebus inventis extemplo lapidem sapientium repertum credebant aenigmaque de natura contagiorum solutum; contagium proinde poterat debebatque nihil esse aliud quam hujusmodi fungus. Hanc conclusionem saltem festinantius factam esse, ex accuratis elucet disquisitionibus quas La Pierre (2) instituit, nobisque excerptas hoc loco exhibere licet: in secretis liquidis, pure, muco, sero, si a corpore separata sunt, fungi nascuntur illis in corpore vivo obviis simillimi; quod si extra organismum fit, quanto magis idem in organismo fieri debet, ubi corporis calor decompositioni horum liquorum insuper favet. In minima adhuc recente porriginis pustula nullus exstat fungus, quia pus hic nondum decompositum est; simulac autem fungus primus exstitit, decompositio celerius progreditur et in stadio posteriore totam crustam ex fungis compositam cernimus. Itaque fungorum formatio nequaquam essentiale aliquid in

(1) Ueber das Vorkommen und die Natur der Entophyten u. Epiphyten des lebenden Organismus. Ferner: Mikroskopisch-pathologische Beobachtungen über die Natur des Contagium von H. Klenke. Leipzig 1843.

(2) Ueber die pflanzlichen Parasiten. Medizinische Zeitung vom 1. u. 8. Januar 1845; ein Auszug aus der im Jahre 1844 gekrönten Preisschrift von Carl La Pierre.

exanthematibus scrophulosis, specifica modo est forma producti aegroti; initio semper modo secretum liquidum, quod minime fungos continet, sed serius, ubi decomponitur, fungorum formandorum compos fit. Similis decompositio in vulneribus locum habet, in cutis partibus aliquamdiu non purgatis: hic quoque decompositio substantiarum animalium sub fungorum formatione exstat. In typhosis ulceribus intestinorum, in oesophago cadaverum, in margine ulcerum gangraenosorum secreta insunt facile in decompositionem abeuntia, in quibus igitur haud raro etiam fungi conspiciuntur. Formatio omnium horum fungorum aliis legibus subdita est, quam illis nostri organismi; sunt productum chemicae actionis in omnibus his substantiis animalibus patentis, quae ex nexu cum organismo sublatae sunt. Sic se habent fungi in tuberculis pulmonalibus, qui serius demum cernuntur, quando substantia jam in emollitionem abiit. Item explicari possunt fungi in corporibus animalibus: Hannoveri sic dicta infectio sani tritonis per mortuum, fungorum pullulatione correptum, nihil offert mirabile: nam in locis tantum sauciis fungos exstitisse dicit, ubi materiae sunt ad decompositionem admodum proclives. Cujus processus actio organica nullam habet partem; idem consequimur, si tales fermentationis fungos in partes substantiarum animalium transferimus, quae decomponi incipiunt. Pariter se habet contagiositas, ut opinantur, in corpore humano. Remak, Gruby, Bennet saepius porriginis crustam inseruerunt, sed sine successu prospero; Remak quidem pustulam produxit, favi fungos continentem, at verum exanthema amplius sese propagans non ortum est.

Ex his disquisitionibus a La Pierre institutis satis ap-

paret, inde, quod fungi in morbis inveniantur, temere conclusum esse, contagiositatem morbi per fungos conciliari. Ne est quidem certis morbis peculiare, sese certis fungorum formationibus prodere, id quod in scrophulosis exanthematibus maxime statuebatur. Contra ea equidem haec afferam:

1) Eaedem fungorum formationes, quas in genuinis exanthematibus scrophulosis reperimus, in spuriis quoque occurrunt (ex congressu v. c. scrophulosis et eczematis oriundis).

2) Eaedem fungorum formationes in morbi conditionibus plane diversis obveniunt, quibus sola serosa purulentaque exsudatio communis est. Sic Langenbeck junior (1) eosdem fungos invenit, ut in tinea favosa, ita quoque in psoriasi guttata; Fuchs (2) in alpho et rhypia; Gruby (3) in lichenibus barbae.

3) Diversi fungi in morbi conditionibus simillimis deprehensi sunt. Aphthae et stomatitis exsudativa nonnisi gradu diversi morbi sunt, uterque situs est in inflammatione telae submucosae; inflammatio in posteriore magis modo aucta et latius extensa, sed uterque morbus in eo convenit, quod idem proferunt exsudatum, in quo Gruby (4) fungos cum nucleis

---

(1) Langenbeck, über Favus ähnliche Pilze in Psoriasis guttata. Holscher's Hannoversche Annalen 1840. Sct. 1. p. 55.

(2) Fuchs Hautkrankheiten T. I. II.

(3) Gruby, sur une espèce de mentagre contagieux résultant du développement d'un nouveau cryptogame dans la racine des poils de la barbe de l'homme. Comptes rendus tom. XV p. 512. Septbr. 1842.

(4) Gruby, Extrait d'une Note de ses recherches anato-

vidit, quos fungos Vogel (1) quoque et Oesterlein (2) invenerunt, nihil vero de istis nucleis dicentes, id quod est argumentum in iisdem materiis organicis varios fungos crescere posse.

4) Tinea favosa est fere solum infantium infimae hominum classis morbus, unde fungorum formatio in hoc exanthemate potissimum ex egregia immunditie evadere mihi videtur.

His caussis affatim comprobasse mihi videor opinionem, fungorum formationem caussam vel characterem certorum morborum constituere, minime rectam esse. In hoc fundamento posita argumentatio, contagiositatem horum morborum ex illa fungorum formatione pendere, per se jam corruit.

Jam vero si contagium neque fungus est, qui propagatione in corpore morbus ipse vel, ut Henle (3) judicat, morbi tantum caussa existat, nec organica individualis facta pars elementaria, id quod in tumoribus pathologicis statuebatur, nos oportet ad quaestionem recurrere, quid tandem contagium sit? Si Schultzii de morbo sententiam sequimur, contagii explicatio multo nobis expeditior est et hac ipsa in re veritatem theoriae Schultzianae tam clare patentem invenio, ut etiam ad singula applicari possit, et quamquam non-

---

miques sur une plante cryptogame, qui constitue le vrai muguet des enfants. Comptes rendus tom. XIV p. 634. Mai 1842.

(1) Vogel, über Pilzbildung bei Aphthen. Allgemeine medizinische Centralzeitg. von Sachs 1841 No. 24.

(2) Oesterlein, de re eadem ibidem.

(3) Pathologische Untersuchungen von Dr. Henle. Berlin 1840. p. 16.

nulla remanent non explicata obscuraque, tamen nullae contradictiones et errores adversus experientiam offeruntur.

Secundum eum effectus omnium in organismum agentium rerum externarum nunquam est absolutus; verus effectus in genere demum nititur, quo vita aegrota per caussam decurrit; morbus ipse est productum letalis processus corporis ipsius, corpusque influentibus rebus noxiis tantum ad morbum commovetur.“

Contagii effectus minime se habet aliter, quam quaeque externa potentia nociva; materies contagiosa secundum eum aegrotae formationes decrepitae (Mausergebilde), vitae residua. Morbus in gradu demum certo contagiosus fit. „Der Kampf des Lebens mit dem Tode (der nekrobiotische Prozess), Schultzius inquit, muss sich, um Contagium zu bilden, auf einen Punkt steigern, wo die Lebensauflösung, die Biolyse, das entschiedene Uebergewicht über die Verjüngung gewinnt und das Umschlagen der organischen Form und Erregung in chemische Zersetzung nicht mehr in den Grenzen der normalen Mauserakte gehalten wird.“

Vis contagiosa harum formationum eodem auctore in peculiari genere demoriendi versatur: „Es ist, ait, ein schnelles Absterben frischlebendiger Theile, wie in der unreifen Mauser, die schon im Entstehen dem Tode geweiht sind, aber den Tod gewissermassen noch mit ihrem Lebensüberrest inficiren und in denen der Chemismus noch durch diesen Lebensüberrest (in der organischen Form vieler Contagien) gebunden ist, so dass der Todeskampf darin noch fortdauert, und den abnormen, man möchte sagen, kranken Chemismus bildet. Der Stoff wird hier noch nicht vollkommen frei, weil die

organische abgestorbene Form nicht völlig in Stoff aufgelöst worden ist e. c. t. Das Contagium ist also in der That ein chemischer Stoff, aber durch Auflösung des organischen Lebens entstanden.“

Re vera igitur neque discrimen est inter miasma et contagium. Miasmata dicimus aëris depravationes, quae in morbos certos nos conjicere solent, contagia vero eliminatas ex corpore aegro materias aegras, quae in corpore alio morbum eundem procreare valent. Utraque sunt substantiae chemicae, quae valent corpus morbis certis inficere. Sic igitur febrem flavum, pestem, typhum, alia tam miasmatice quam contagiose gigni, nobis quidem non valentibus miasmatice ortum morbum a contagiose orto dignoscere. Non magis autem quam miasmata semper unum modo eundemque morbum producunt, hoc de contagiis contendi potest. Etenim Stark l. c. p. 394 refert, contagia nonnunquam morbos materno suo dissimillimos proferre: gangraenae nosocomialis contagium interdum typhum provocat, typhi contagium contra in vulneratis gangraenam nosocomialem, in sanis ophthalmoblennorrhoeam; morbillorum, variolarum, scarlatinae materies typhum (Autenrieth), varicellae veras variolas (Jahn et alii), vaccina varioloidem, gonorrhoea maligna syphilidem. Ita producit contagium typhi carbuncularis apud hominem pustulam nigram, humanum variolarum venenum apud vaccas vaccinas, apud oves variolam ovillam, equinam apud equos, animalium scabies apud homines scabiem malignam.

In Schultzii opere (p. 593) observatio Johnsoni consignata est: de militibus viginti octo in insula Barbado prope paludem miasma exhalantem collocatis tres cholera correptos

esse, quinque dysenteria, quatuor febri nervosa cum cute flava, ceteri sedecim febri intermittente.

Anno 1842 circa Rhenomontium diarrhoea epidemia grassabatur, quae apud nonnullos dysenteria, apud alios cholera, apud infantes tussis convulsiva fiebat; nonnullis personis hydrope correptis, multisque ex vehementissima dysuria laborantibus.

Contagia ergo pariter ac miasmata nequaquam semper morbum concitant eundem, et si morbus idem exoriatur, hic tot offert modificationes in decursu et vehementia, quot homines eo affecti sunt. Cujus generis exempla nobis historia prope omnium epidemiarum suppeditat. Jam Orraeus in libro de peste narrat, hunc morbum permultis gradibus, ab acutissima paucis horis decurrente ad maxime chronicam formam, incedere. Ponit quatuor pestis formas principales (cf. Hecker l. c. p. 90—92). Ibidem (pag. 82) haec quoque mihi gravissima observatio exstat Orraei: „Wenn die Pest herrschend geworden ist, kommen bei Nichtverpesteten sehr häufig geringere krankhafte Zufälle vor, am meisten Blutschwären, welche als unvollkommene Formen der Carbunkeln zu betrachten sind, Halsentzündungen, rheumatische Schmerzen etc. Diese Zufälle hängen alsdann nicht von der Jahreszeit ab, sondern sie kommen und verschwinden mit der Pest.“

Contagiositas haudquaquam proprietas est certis quibusdam morbis conveniens, sed potius omnes morbi gradum quendam adepti sub conditionibus alioquin faustis contagiosi evadere possunt. Sic Moscoviam anno 1774 et 1775 febres sic dictae Moldavicae vexabant, species admodum maligna

febrium intermittentium, quae contagiosae erant (cf. Hecker l. c. p. 68).

Porro exstant exempla translatae arthritidis, scrofularum, phthisis. Molin (1) memorabile specimen contagiositatis phthisis prodidit: duo canes, pus tuberculosum lingere soliti, phthisi perierunt. Henle se vidisse ait, felem, quae cum muliere phthisica in eodem conclavi versabatur, tussi correptam tuberculis exstinctam esse (Patholog. Unters. p. 47).

Quod si contagia, tanquam mortuae substantiae chemicae, effectu suo in corpora aliis materiis chemicis in universum similia sunt, eo tamen ab his multum differunt, quod tanquam mortuae formationes decrepitae organorum certorum, maximae his quoque organis in aliis corporibus cognata apparent, et in iis potissimum morbi processum instituunt. Effectum contagiorum in corpus non esse chemicum Schultz docet p. 694.

De vera contagii reproductione in corpore secundum hanc opinionem sermo fieri nequit, sed regeneratum contagium novum nihil est aliud quam demortua materia organi, quod per contagii vim morbo inficiebatur; hac tantum ratione id, quod miasmatice orti morbi contagiosi evadant, expediri potest.

At hac theoria contagiorum minime jam omnia eorum phaenomena dilucidari possunt; mirum sane relinquitur, quod nonnulli morbi contagiosi una infectione capacitatem ejusdem morbi delent; item plures alii morbi ab infectione tuentur, v. c. vulnera, ulcera, impetigines, exanthemata etc. a peste; catarrhus, tussis convulsiva, morbilli, scarlatina, miliaria a variolarum veneno defendere dicuntur. Diversum spatium con-

(1) Casper's Wochenschrift 1839 No. 14.

tagii ut ajunt latentis, quod ab horis viginti quatuor (morbilli, scarlatina apud infantes) usque ad annos variat (hydrophobia); magna tenacitas nonnullorum contagiorum, quorum quaedam vim contagiosam per annos sub conditionibus quibusdam servare posse notum est: haec multaque alia phaenomena hic tantummodo tanquam obvia memorari possunt, praesertim quum tenebras eorum nulladum theoriarum de contagio hodieque inventarum aliquid modo dispulsas credam.

VITA.

Theodorus Hofmeister Neovedanus. Natus sum a. MDCCCXXI die XIX mensis Decembris patre Friderico, quem mortuum lugeo, matre Ludovica e gente Helffrich. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus, puer quatuordecim annorum gymnasium Vezlariense adii, ubi per quinque annos literis humanioribus operam navavi. Maturitatis testimonio instructus, mense Octobr. a. MDCCCXXXXI inter alumnos regiae academiae medico-chirurgicae militaris, anno autem post a Rectore magnifico Friderico de Raumer in numerum civium almae academiae Fridericae Guilelmae receptus sum.

Per quadriennium his interfui scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Mitscherlich de chemia anorganica et organica; Ill. Link de botanice et de historia naturali; Cel. Turte de physice; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, de pathologia generali, de medicinae historia; Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia et de splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia universa, de anatomia organorum sensuum, de physiologia, quo eodem una cum Ill.

Schlemm duce arti cadavera rite secandi operam dedi; Ill. Mitscherlich de materia medica; Cel. Troschel de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Beat. Kluge de arte fascias imponendi, de arte obstetricia, de aciurgia; Cel. Froriep de aciurgia; Ill. Wagner de medicina forensi.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui Ill. Wolff, Romberg, Schoenlein, Dieffenbach, Juengken, Barez, Kluge, Busch, Truestedt.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Quae dicuntur critica, urina, sudor, alia, non sunt signa sanationis.
2. Nomina febris gastrica, rheumatica, catarrhalis, hydrocephalica, alia, nil valent.
3. Morbi typus nil nisi typus vitae sanae.
4. Omnes morbi contagiosi fieri possunt.
5. Raphania in Germania, ergotismus in Franco-Gallia, licet iisdem caussis orti, tamen morbi sunt plane diversi.
6. Nutrices, morbis acutis correptae, saepe suo cum commodo et sine infantium incommodo lactationem continuant.